

Arma virumque cano, Troiae qui primus ab oris  
Italiam, fato profugus, Laviniaque venit  
litora, multum ille et terris iactatus et alto  
vi superum saevae memorem Iunonis ob iram;  
multa quoque et bello passus, dum conderet urbem, 5  
inferretque deos Latio, genus unde Latinum,  
Albanique patres, atque altae moenia Romae.

Musa, mihi causas memora, quo numine laeso,  
quidve dolens, regina deum tot volvere casus  
insignem pietate virum, tot adire labores 10  
impulerit. Tantaene animis caelestibus irae?

Urbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni,  
Karthago, Italiam contra Tiberinaque longe  
ostia, dives opum studiisque asperrima belli;  
quam Iuno fertur terris magis omnibus unam 15  
posthabita coluisse Samo; hic illius arma,  
hic currus fuit; hoc regnum dea gentibus esse,  
si qua fata sinant, iam tum tenditque fovetque.  
Progeniem sed enim Troiano a sanguine duci  
audierat, Tyrias olim quae verteret arces; 20  
hinc populum late regem belloque superbum  
venturum excidio Libyae: sic volvere Parcas.  
Id metuens, veterisque memor Saturnia belli,  
prima quod ad Troiam pro caris gesserat Argis —  
necdum etiam causae irarum saevique dolores 25  
exciderant animo: manet alta mente repostum  
iudicium Paridis spretaeque iniuria formae,  
et genus invisum, et rapti Ganymedis honores.  
His accensa super, iactatos aequore toto  
Troas, reliquias Danaum atque immitis Achilli, 30  
arcebat longe Latio, multosque per annos  
errabant, acti fati, maria omnia circum.  
Tantae molis erat Romanam condere gentem!